

## CAPVT XXXIIII.

**D**VC gradum Solis tui propositi ad contactum horizontis orientalem, & in tali dispositione globi dirige etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, & fac indicem sic firmum in globo stare, deinde eundem gradum Solis dispone ad contactum horizontis occidentalem, nam index horarius sic cum globo ductus, horam longitudinis illius diei tibi in circulo horario commonstrabit. Per hunc etiam modum arcus horarius stellæ, quam supra horizontem uel infra facit, tibi patebit, si eo ordine processeris, sicut iam dictum est.

Si diem longissimam in regione quapiam cognoueris, quo pacto latitudinem eius inuenias edocere,

## CAPVT XXXV.

**S**VPPONE primum punctum Cancræ armillæ meridianæ, & in tali situ duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, deinde numera semidiurnam illius longissimæ diei quantitatem ab hora 12. meridiei in circulo horario uersus orientem, quia ibi erit ortus Solis illius diei, & globo cum indice horario in circulo horario custodito, ne ab hac hora ortus labatur, tunc eleuabis uel deprimes globum cum sua armilla meridianæ, quoad initium Cancræ eclipticæ directe horizonti orientali insideat, tunc enim uidebis in gradibus armillæ meridianæ à polo mundi arctico ad usque horizontem gradus eleuationis poli tuæ regionis, cuius diem longissimam anni antea noueras.

Horam ortus & occasus, atque etiam cœli mediationis Solis atque stellarum in quacunque regione faciliter perscrutari.

## CAPVT XXXVI.

**Q**VARE ascensionem obliquam gradus, cuius horam ortus scire cupis per doctrinam capituli 21. huius, quam seorsum serua. Similiter etiam ascensionem rectam eiusdem gradus addisce per doctrinam 19. subtrahe minorem à maiori numero, differentiamque earum conuerte in horas & horarum fractiones, eam per 15. diuidendo, quas subtrahe à 6. horis, id est, à uero ortu Arietis scilicet & Libræ, & hoc si Sol uel stella fuerit in signis Borealis, uel adde eandem differentiam 6. horis, si Sol uel stella fuerit in signis Australibus, & quod ex tali additione collectum, uel post subtractionem residuum fuerit, horam ortus Solis uel stellæ quæsitam manifestabit. Exemplo facilius accipies. Volo horam ortus Solis eo existente in 10. gradu Scorpij, in regione cui polus Borealis 49½ gradibus eleuatur, inuenio igitur ascensionem obliquam 10. gradus Scorpij, gradus 236, & ascensionem eius rectam gradus 218, quorum differentia est graduum 18. Quibus in horis, earumque fractiones conuersis, colligo horam 1. minu. 12. ferè, quod tempus addo 6. horis, eò quod signum Scorpionis est Australe, & excrescunt horæ 7. minu. 12. uerum tempus ortus Solis illius diei quæsitum. Pari ferè operatione horam occasus edoceberis, si loco ascensionis obliquæ pro tempore ortus habendo acceptæ, descensionem hic inuestigaueris, & ubi ibidem additio fiebat propter Australia signa, hic subtractione ages, & conuerso, quod ibidem subtractione efficiebas, hic additione propter signa Borealia rimaberis. Pro hora cœli mediationis stellæ ita operare: Quare ascensiones rectas loci Solis illius diei atque stellæ, cuius cœli

media